



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Petrus Nolascvs. 31. Ianuarij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

dit [inquam] ut cancro exesas ejus mammas vellet. An simile quidquam adhuc Deum rogasti, tu, qui sanctorum neminem non rogas, ut minimo dolore libereris? Dolores tamen, & labores, sunt blanditiæ, & beneficia Christi.

3. Parum erat, delitiis omnibus carere, & acerbissimo dolore cruciari: rogat insuper Deum suum, ut tum cibi, tum potûs fastidium inducat: fit voti compos, accepto siquidem à S. Petro mannâ cælesti, dulcia quæque fercula fastidiebat. Quid dicis ad hæc, voluptuarie, qui omnem quæris corporis voluptatem? *Peto Domine, ut omnia mihi amarescant, ut tu solus dulcis appareas anima mea.*

S. P E T R U S N O L A S C V S.

31. Januarij.

Majorem hanc dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Ioan. 15.

S Petrum genere nobilem, dedit Ecclesiæ S. Gallia, quo fructu, jam in cunis præsa-
giit examen apum, quod infantis dexteræ favum mellis imposuit, ut è forti duleedinem, & è dolci fortitudinem in Christianos
osten-

ostenderet emanaturam. Hoc ut opere probaret, ab Albigenſium Hæreticorum veneno præſervatus, vovit animam ſuam dare pro amicis ſuis, quâ majorem charitatem nemo habet. Placuit Matri Miſericordiæ affectus tam miſericors, eiſque noctu oranti apparens, ſibi ſuoque filio gratiſſimum fore ſuggeſſit, ſi Ordinem de captivis à Barbarorum tyrannide liberandis inſtitueret. Paruit cæleſti monito, non jam ſuus, ſed proximi; & invênit divinâ bonitate præmonitos tantæ in proximos charitatis comites, qui ſe offerrent in obſides, & ne lytrum decſſet, coronam & ſceptrum obtulit Iacobus Arragonum Rex, quod tamen quantumvis magnum, cum Petro videretur parvum, maximum quod habuit, obtulit in pretium libertatis alienæ, Deoq; votum nuncupavit, ſe ipſum dandi in pignus pro captivis ſub Pagano jugo Chriſtianis. Tu ſi alios non vis aut potes; te ſaltem Barbara exue captivitate carnis & jugo mundi.

M E D I T A T I O

De vitâ S. Petri Nolæſci.

1. **T**anta fuit ejus in pauperes charitas, ut omnia bona ſua pauperibus largitus ſit. Primum

num hunc charitatis ejus effectum imitare. Quid adhuc fecisti ad proximi tui solatium? quid facturus es? si minus bonis, saltem precibus eum adjuves, & ejus vitia æquo animo feras.

2. Inaudita prorsus incensus charitate, lubenter (ajebat) toto vitæ meæ tempore in vinculis essem, si vel unum Christianum iis possem expedire. Quis posses corpus tuum proximi causâ devovere, tu, qui ægrè admodum soles nummulum dare pauperi? Vult tamen Christus, ut solvas fratribus tuis, quod ipsis debes, vinetis opem feras, mæstos soleris, nullique verbis durioribus, aut ingenio morosiori incommode sis. *Quem contemnere vis, pretium ejus attende, & cum morte Christi totum mundum appende.* August.

3. Hoc potissimum habuit in animo clarus iste Fundator, ut ab interitu sempiterno vindicaret animos Christianorum, quorum fides diuturnioris captivitatis tædio periclitaretur, ideoque cum corpori, tum animæ eorum sedulo consulebat. Nihil utilius feceris proximo tuo, quàm si incumbas ad salutem animæ ejus: quare nullam ejusmodi prætermittas occasionem.

